

EXPERIMENTVM XI.

Efficaciam pulsationis cordis si indagare volumus, ad tria sedulo debemus attendere: 1.) ad ventriculorum cordis capacitatem, tempusque, quo hic motus absolvitur, utrumque vero demonstravit Experimentum antecessens VI. ejusdemque expositio. 2.) ad sanguinis ipsius quantitatem et pondus etiam supra allatum, 3.) ad totius corporis humani resistentiam et molem, quae etiam ratione grauitatis, pro majori vel minori corporis proceritate, variare potest.

EXPOSITIO.

Ex his optime inter se collatis facile conficitur, vim, cordis machinam perpetuo commoventem, debere esse satis insignem. *A Borello de motu animali* comparatur cum pondere trecentarum librarum, id quod quibusdam inconuenienter factum fuisse videtur, quod vim agendi ponderi quiescenti aequiparauerit. Atque ratione temporis pulsationum durationis, non e- quidem velocitas pulsus ejus efficaciam semper auget, alias in infantibus pulsu citiori gaudentibus, esset major, quam in adulto et robusto homine, in quo e- quidem fortis, non tamen frequens adeo observatur ac in pueris. Nihil enim impedit, quo minus validus motus continuatus, non possit eo magis resistentiam corporum obstantium exuperare, quo enim diutius perdurant ejusmodi fortiores commotiones, eo vehementius etiam agunt in corpora renitentia, eademque in motu suo promovent.